AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MARTIS IIII. Februarij, Magistro Iacobo Cousinot Doctore Medico moderatore.

476

An tussi testium tumor salutaris?



HOMO πλασσόμενος creatorum omnium finis ac norma, vtriusque mundi epitome, duarum remotissimarum partium vnione plus-quàm physicâ exsurgens, naturam & matrem expertus videtur & nouercam. Quippe vt intelligendi solertiâ Angelorum frater est, & mendicatâ mentis æternitate ἰσόθεος; sic corporis, licèt temperatissimi, conditione morbosissimâ ad omnem fortunæ contumeliam, infráq; belluarum robur proiectus, ab ijs mortem accipit, quibus abstinere non potis est. Adeò necessariò, nec ante diem, ingruit fatum, cui frænum inijcere medicus nouit. Magna connatæ imbecillitatis vitia, maiora viuentium. Cùm enim nihil perequè ad sanitatem possit quàm ἀκορίη τροφῆς, vincit malorum radix intemperantia, gulæq; & insaturati abdominis licentiâ plures quàm gladio iugulantur. Ἀπὸ τῶν διαιτημάτων καὶ τοῦ πνεύματος solemnes morborum ἀφορμαί, inefficaces tamen vbiq;, etiam pestilentes, nisi patientis aptitudo concurrat.



QVIBVS hominum caput humidius, habitus crassior, aut partis principis ἀκρασία, hi longè insalubriùs degunt: partium item nostri corporis aliæ alijs citiùs & grauiùs conflictantur. Si qua procreationis errore aut secus labem duxit, leui occasione ad totius exitium tragœdias mouet. Eiusmodi est primarius cordis satelles, & crescentis vsq; ad mortem animæ ventilabrum pulmo immobilis, sensus expers, frigidæ ac vini metuens, viscus calamitosum, ipsâ parenchymatis delicatiore fabricâ, situ insuper & muneris perennitate affectuum myriadibus expositum: obstructioni ab humorum copiâ, lentore aut crassitie, vnde dyspnœa πνιγώδης, asthma febre carens, crudum tuberculum: inflammationi, primariæ quidem & mitiori, ex cordis æstu & cerebri stillicidio, vel succedaneæ pleuritidis & anginæ, lethali: vomicæ; φθόη contagiosæ corporis σύντηξιν, alui profluuium, inuictam moriendi necessitatem aduehenti. Sed pulmoni nihil perinde familiare ac tussis hydropicorum clades, tabidorum spes & desperatio, quæ non prædictos modò, sed inferiorum quoq; viscerum affectus comitatur.



TVSSIS pulmonis vnius malo contingens aliud nihil est, quàm vehementissima ἐκφύσησις, quâ plurimus simul celerriméq; foras actus spiritus attrahit propellítq; suo impetu quæ respirationis vias intercludunt; motus sanè illegitimus, quem acria & oleosa omnia ciere possunt. Tussis instrumenta eadem quæ validæ expirationis, species multæ, causa multiplex, humor vt plurimùm decidens, aut pelliculæ arteriam forinsecus ambientis asperedo: vnde non austrinâ aut boreali tantùm, sed quauis cæli constitutione sæuiunt tussiculosi affectus senibus familiares, & pepasmi defectu ξηρὰ ὑποθημένοντες. At verò delapsus in pulmones humor viscidus aut aqueus sæpe ludit ἀναγωγήν. Hinc metus, ne morâ putrescens rarum & molle viscus exulceret, tussímq; inuehat non vulgarem, sed θηριώδη. Id facinoris vt auertat quouis Æsculapio solertior ἀμαθὴς natura; parti primariæ, quæ medicamentorum, ipsiúsq; phlebotomiæ catharsi tutioris viribus minimè peruia peritorum luget industriam, sola succurrit.



ID autem præstat, non sanguinis χαλαρῶς καὶ δαψιλέως manantis profluuio, non vomitu exquisitam bilis cum pituitâ mixturam exhibente, non liberali & subcalido totius corporis sudore, non diarrhϾ vllo genere, non vrinæ (quod ferè fit) copiosioris, crassioris, albáq; hypostasi præditæ perirrhϾ: sed, vt est κρίσιν ἰσχυρὰν, nouítq; ἐν ἐξ χειρός, quæ necessaria sunt suo Marte faciendo, ἀνευρίσκειν τὰς ἐφόδους, & iudicij alioqui difficilis anchoram firmare, morbum morbo, nullâ infidelitatis suspicione, profligat. Quia tamen præstat abscessum κατ' ἔκκρισιν fieri, optabilius esset fontem materiam in aluum aut vesicam transfundi; sed contumaciorem aduersarium, victum licèt, κατ' ἀπόθεσιν natura detrudit in alterutrum vel vtrumq; testem, pro singulari spiritalium organorum cum genitalibus sympathiâ, quam plus satis testantur eunuchus non caluescens, dubium animal ac περιπαθεῖς, & testium flagrantes incendio hystericæ φίλανδροι, perpetuæ siti citra stomachi vitium mancipatæ; quibus vt in paroxysmo venæ sectio nocet, sic suscitatis à paroxysmo nihil marito salutarius.



NON potest abscessus faustè ac feliciter non fieri, qui fit triumphante naturâ, nullâ morbi feritate humorísue orgasmo, à parte nobili in ignobilem & imbecillam; adhæc infra iecur, quo supera inferáq; nostri corporis metiri decet, procul à morbi foco, ἀξίως τῆς παραβολῆς, secus quàm parotides in paraplecticis, quarum fermè funesti sunt exitus; conferto quodam nec dimidiato impetu, seu οὐχ ἡμιρρόπως. Talia sunt in tussiculosis affectibus & præfocatione τὰ περὶ ἀρχήν, quæ memoriam renouant communionis στηθέων, μασθῶν, γονῆς, φωνῆς. Viam nihil moror: habet natura suas ἐκτροπάς, sua nouit diuerticula, quorum ope à populari viâ deflectens, humorum sarcinam per abditos ac latentes cuniculos, quò vult, deponit. Fortean minimè κατ' ἴξιν, vel intus foras; quanquam vtrinq; dubium: illud in arte δυσεξάγωγον (furorem enim varix soluit) hoc minùs necessarium. Quid multa? vbi nulla situs directio, vbi non est τὸ ἀνάπαλιν, ibi abscessum è regione fieri non est opus: Naturæ victricis motus vnum & fidissimum perfectæ solutionis argumentum. *Ergo tussi testium tumor salutaris.*

Asserebat Lutetiæ MICHAEL DE LA VIGNE Vernonæus. A. R. H. 1614.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus l'Espicier.
M. Franciscus le Sage.
M. Georgius Cornuty.
M. Guillelmus du Val. P. R.
M. Ioannes Akakia.
M. Gaspardus Brayer.
M. Guillelmus Lescaillon.
M. Petrus Collier.
M. Robertus le Secq.

